



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 6. In Spitzbergâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

§. 6. *In Spitzberga.*

QUI hîc piscantur Bataui & Angli, deficientibus nauibus relinquunt pisces suos, & anno sequenti dum redeunt integros reperiunt, sine vlla corruptionis suspicione. *Relationes Batauorum.*

Hîc quoque piscis capitur quem Islandi vocant *Nahuay*, cuius carnem si quis comedit statim moritur. Habet autem hic dentem, in capite prominentem septem cubitorum, quem pro Monocerotis cornu Bataui vendiderunt: & verò creditur venenis aduersari. *Idem Bataui.*

Equos marinos hîc quoque conficiunt, quos alij vaccas, alij elephantes marinos nuncupant: sed non est facile eos habere integros plenosque succi. Statim enim atque vnus eorum cuspidem percussus interiit reliqui accurrunt, & cadauer tandiu premunt, eique tandiu insident, donec corrumpatur. *Idem Naucleri & Piscatores.*

LIBER QVARTVS.

De Sarmatiâ.

CAPVT PRIMVM.

Historica Sarmatia descriptio.§. 1. *Nomen.*

DICEBANTVR olim omnes illi populi Septentrionales Scythæ, sed demum inducto Sarmatarum, & Germanorum nomine Scythæ vocari desierunt, ait Plinius, Scytharumque nomen ignotis tantum populis hæsit. Dicti autem sunt Sarmatæ, vt quidam volunt ab *Afarmoth* filio *Iectan* filij *Heberis*; vel à vultu terribili, seu serpentino; σαύρος enim lacerta est, ὄμμα oculus. Græci itaque Sauromatas, Latini Sarmatas appellant. Tamen in Periplo Scylacis Σάρμαται nominantur: ἰππομόλγοι autem & γαλακτοφάγοι, & alia eiuscemodi, epitheta sunt, non nomina.

Bb ij